



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 9. Admiranda Corsicæ Veteris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

pestate. Noctu autem ex hoc vertice fulgores, interdiu fumus, & caligo apparent. *Strabo lib. sexto.*

Æthna mixtas ignibus niues profert, & licet vastis exundet incendiis, apricâ canitie perpetuò brumalem detinet faciem, ita inuictâ in utroque violentiâ, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore dissoluitur. Claudianus sic expressit,

*Scit niuibus seruare fidem, pariterque fauillis
Durescit glacies, tanti secura vaporis;
Arcano defensa gelu fumoque fideli,
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas, &c.*

Silius autem Italicus — *Stat vertice celsi*

Collis hyems, calidâque niuem tegit atra fauillâ.

Solinus cap. 11. Claudianus de raptu Proserpine lib. 1. Silius Italicus lib. 14. &c.

Aliquando mons Æthna non tantum riuos igneos eiicit, sed & saxa ignita. *Strabo lib. 6. Pindarus, Maro, &c.*

In Agro Catanensi ostenditur locus piorum fratrum Amphinomi, & Anaphix, qui se uiuente Æthnâ parentes humeris imposuerunt; quibus & flamma mirabiliter pepercit, in duas partes secta, & pio sub pondere tutis innoxia fuit. *Strabo lib. 6. Auctor poematis de Æthna, Valerius Maximus lib. 5. cap. 4.*

§. 9. Admiranda Corsicæ veteris.

In hac Insulâ tantum reperitur lapis Catochites, qui adhæret tactis corporibus: quo usum ferunt Democritum Abderitem in Magos depugnaturum. *Plinius lib. 36. cap. 10. & Solinus cap. 9.*

Hæc Insula nec boues, nec capras, nec lupos, nec lepores, nec ceruos alit. *Polybius lib. 12.*

Equos alit Corsica, sed paulò supra oues magnitudine, & simias ad humanam ferè effigiem. *Procopius lib. 3. Gothicorum.*

§. 10. Admiranda Sardinia veteris.

NASCITUR in hac Insulâ herba Sardonia dicta, quæ si comedatur rictu ora sic diducit ut ridentium facie intereant qui ederint, unde parœmia, risus Sardonius. *Strabo lib. 6. Solinus cap. 12. Isidorus lib. 14. cap. 6. & alij.*

Parall. Geogr. Tom. II.

XXX